

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Nonus De Renovatione Sive Sanctificatione.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

IV, 4. (6) Quod ex ea de futura etiam corporum resurrectione et gloriosa transformatione certi esse possint, Rom. VIII, 11. (7) Quod ipsos nulla res ab amore Dei, qui est in Christo Iesu, Domino nostro, possit diuellere, Rom. VIII, 35-39. (8) Quod, quum huius vnionis, inhabitationis et communionis dignitas et præstantia heic lateat, illic aliquando patefacienda sit, vt impleatur, quod dictum est: *Ecce Dei apud homines tabernaculum, qui apud eos habitabit, et ipsi eius populus erunt, et ipse Deus erit apud eos Deus eorum*, Apoc. XXI, 3. 2 Thess. I, 10. (9) Quod non solum ipsi sempiternum Dei templum, sed etiam Dominus Deus omnipotens et Agnus templum eorum futuri sint, Halleluia! Apoc. XXI, 22. 1 Cor. XV, 28. Io. XVII, 21-26.

ARTICVLVS NONVS
DE
RENOVATIONE
SIVE
SANCTIFICATIONE.

§. 1.

Quodnam **S**extum et vltimum beneficium status benefici- gratiæ est *renovatio* siue *sanctificatio*, um in hoc quæ cum antecedentibus beneficiis iu- articulo stificationis et spiritualis vnionis ex diuino considera- ordine proxime et arctissime coniuncta est. tur? In-

De renouatione siue sanctific. 167

Intelligitur autem per illam in hoc articulo efficax continuatio et incrementum operis gratiæ, per Spiritum sanctum in regeneratione et conuersione inchoati, Phil. I, 6. quæ proinde a regeneratione, sensu strictiore sumpta, heic distinguenda, non autem separanda est. Ceterum per *renouationem* siue *sanctificationem*, sensu latiore acceptam, etiam negotium regenerationis, et generatim vniuersum Dei opus, quo amissam diuinam gratiam in homine per Christum et Spiritum suum instaurat, denotari solet.

§. II.

Hæc diuinæ gratiæ operatio, in reno- Ex qui-
uatione et sanctificatione sese exserens, ho- bus fun-
minem requirit regentum et *iustificatum*, damentis
quippe in quo vetus homo (licet crucifixus hæc diui-
et infirmatus Rom. VI, 6.) adhuc residuus; na opera-
nouus autem instar recens nati infantis ad- tio fuit?

huc tener et infirmus est. Rom. VIII, 1. 12. 13.
1 Petr. II, 1. 2. 1 Cor. III, 1. **LUTHERVS**
Postill. Eccles. „*Vniuersa vita nostra exerci-*
„*tatio eo spectat, vt congenitam iniustitiam,*
„*et quidquid a gratia vacui et mundani animis*
„*et corporibus nostris inest, expurgenus, vt hæc*
„*tota vita ad mortem vsque nihil nisi purifica-*
„*tio sit. Fides enim etsi nos ab omni reatu legis*
„*prorsus absoluit et liberat; remanent tamen*
„*male inclinationes in anima et corpore, sicut*
„*squalor et morbus a carcere; in his omnibus*
„*penitus expurgandis occupata est fides, quem-*

L 4

„admo-

„admodum in euangelio Io. XI, 43. totus Laza-
 „rus voce Christi e mortuis resuscitabatur, fa-
 „scias autem et sudarium postea solui et remo-
 „veri oportebat. Et semine ex ille homo, quem
 „obligabat et in diuersorium ducebat Samari-
 „tanus, aliquamdiu ibi iacere et omnino con-
 „ualefcere ex acceptis vulneribus debebat.„
 Fundata autem est in miserante Dei amore,
 Ezech. XVI, 6. 9. seqq. ipsiusque sanctitate,
 1 Petr. I, 16. in primis vero in redemptione
 Christi et facta per illam reconciliatione nostri
 cum Deo, Tit. II, 14. 1 Petr. I, 17. 18. II, 24.
 2 Cor. V, 15. Rom. VI, 4. 1 Io. III, 8. Hebr.
 IX, 14. nec non in omnibus ante considera-
 tis beneficiis vocationis, 1 Theff. IV, 7. illu-
 minationis, Eph. V, 8. 2 Cor. III, 18. regenera-
 tionis, Io. XV, 16. Tit. III, 5. Eph. II, 10.
 1 Petr. II, 2. iustificationis, Rom. VI, 22.
 2 Cor. VI, 1. et unionis cum Deo, Eph. III, 16.
 17. quippe quæ beneficia omnia ad magis
 magisque excolendam sanctificationem et
 renouationem hominis in diuinam imagi-
 nem spectant, ad eamque necessarias vires
 subministrant. Ex quibus omnibus simul
 necessitas et possibilitas rei ipsius confirmatur.
 LUTHERVS de Conciliis et Ecclesiis, Tom.
 VII. Alt. fol. 272. b. fin. „Istiusmodi Christus
 „nullus est et nupiam, qui pro illis peccatori-
 „bus mortuus sit, qui peccatorum veniam ade-
 „pti a peccatis non desistunt, nec nouam vitam
 „viuunt.„ Et paullo post; „Christus ideo
 „Chri-

„Christus est, et liberationem a peccato et morte
 „ideo peperit, ut Spiritus sanctus nos ex veteri
 „Adamo faciat homines novos, ut monente
 „Paulo, peccato mortui iustitie viuamus; heic
 „quidem incipiendo et proficiendo, illic consum-
 „mando. Christus enim nobis non tantum gra-
 „tiam, sed etiam donum; hoc est, Spiritum
 „sanctum, promeruit, ut non solum remissio-
 „nem peccatorum, sed vires etiam a peccatis
 „desistendi haberemus. Qui igitur non recedit
 „a peccatis, sed in pristina permanet improbi-
 „tate, is alium Christum habeat, oportet. Verus
 „Christus ibi non adest, etiamsi omnes angeli
 „Christum clamitarent; sed istiusmodi homo
 „cum nouo Christo suo pereat, necesse est.

§. III.

Est autem renouatio beneficium et gra- Quomo-
 tiosa operatio totius sacrosanctæ Trinitatis, do hoc
 Patri tribuitur Io. XV, 2. Hebr. XIII, 21. benefi-
 i Thess. V, 23. 24. Filio, qui non solum morte um ratio-
 et resurrectione sua vires sanctificationis no- ne causæ
 bis peperit, Hebr. IX, 14. Rom. VI, 6. 8. Gal. efficientis
 III, 14. sed eam etiam efficit, i Cor. I, 30. specan-
 Hebr. II, 11. Io. XV, 5. Spiritui sancto, ut- dum est?
 pore cui officium sanctificationis adpropria-
 rur, Rom. I, 4. VIII, 2. 9. 10. 11. 14. Gal. V, 22.
 Eph. III, 16. V, 9. Pl. CXLIII, 10. Quando
 ergo ab hominibus requiritur, ut se expur-
 gent, i Io. III, 3. veterem hominem depo-
 nant, nouum induant, Eph. IV, 22. sqq. Col.
 III, 9. 10. sanctimonia perfungantur, 2 Cor.

VII, 1. cetera, tum hoc ipso viribus humanis et naturalibus, ad res spirituales ineptis atque emortuis, nihil tribuitur, sed omnes adductæ et similes locutiones sic intelligendæ sunt, ut per eas indicetur, *quid ex spiritualibus gratiæ viribus, in regeneratione donatis, fieri et possit et debeat*, 1 Cor. XV, 10. 2 Cor. III, 5. Phil. II, 13. 1 Paral. XXX, 14.

§. IV.

Quibus

mediis in
hoc opere
Deus uti-
tur?

Quemadmodum Deus in beneficiis vocationis, illuminationis, regenerationis, cere-
ris, modo ordinario per *verbum* suum et
sacramenta agit et operatur; ita virisque
tamquam mediis etiam in renouatione et
sanctificatione hominis utitur. Etenim *ver-
bum* Dei non tantum *semen* est, hominem,
cuius animo inseritur et in quo manet, a
peccato custodiens, 1 Io. III, 9. Pl. CXIX, 11.
Luc. VIII, 15. sed *spirituale* etiam *lac* est, quo
grandescere potest et proficere, 1 Petr. II, 2.
Baptismus non tantum regenerationis sed
renouationis etiam est lauiacrum, in quo vir-
tutis mortis ac resurrectionis Christi, ad de-
ponendum veterem et induendum nouum
hominem, participes reddimur, Tit. III, 5.
Rom. VI, 3-5. 1 Petr. III, 21. Col. II, 11. 12.
(Vid. Luth. Catech. min. quæst. ult. in Libb.
Symbol. p. 377. 378.) Et *sacra cæna* cibum
illum præbet, cuius viuificantibus viribus
regenti per dignam illius participationem
in interiorem hominem magis magisque
cor-

De renouatione siue sanctific. 171

corroborantur et sanctificantur, vid. Io. VI, 55. 56. 57. coll. Pf. CIV, 15. 1 Reg. XIX, 8. *Ministri ecclesie* heic itidem spectandi sunt vt adiutores et instrumenta Dei, qui per fidam mediorum istorum salutis administrationem, non solum ferunt, sed etiam irrigant, 1 Cor. III, 6. Rom. I, 11. XV, 16. Eph. IV, 12. A&. XIV, 22. Quo etiam *ἐπιχορηγία*, siue *mutua opitulatio membrorum Christi*, referenda est, ex qua spirituale incrementum et edificatio vniuscuiusque membri in specie existit, Eph. IV, 16. Col. II, 19. 1 Cor. XIV, 3. 12. 26. Rom. XV, 14. 1 Theff. V, 11. Col. III, 16. Accedit, quod Deus varias *calamitates* et *afflictiones* filiis suis immittat, vt peccare desinant, 1 Petr. IV, 1. ipsiusque sanctitatem participant. Hebr. XII, 10. Rom. V, 3-5. 2 Cor. IV, 16. Sicut autem hæc sunt media ex parte Dei; ita ex parte hominis medium est *fides τῆς ἐνεργείας*, efficacis virtutis Dei, Col. II, 12. vtpote quæ est *δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*, per caritatem agens, Gal. V, 6. 2 Petr. I, 5. **LV THERVS** Præfat. in Epist. ad Roman. Tom. V. Witteb. fol. 97. b. „Fides est opus „Dei in nobis, quo renascimur et renouamur „ex Deo et Spiritu Dei, Ioan. I, 13. quo vetus „Adam occiditur, nosque toti transformati „per omnia, vt Apostolus inquit, Christo nouæ „creatura efficiamur per fidem, ubi vita et gubernatio cordis fit Spiritus sanctus. Tam „efficax autem, vita spirans et potens energia „in

„in corde est fides, ut non possit otiosa esse, et
 „non crumpere in opera. Neque is, qui fidem
 „habet, moratur, an bona opera praecepta sint,
 „an secus; sed etiam, si nulla esset lex, viuo
 „hoc impulsu agitante et trudente in corde,
 „sponte fertur ad operandum, neque cessat um-
 „quam vere pia vereque christiana operari.
 „Qui vero ex tali viuo adfectu cordis non facit
 „sua bona opera, is in incredulitate est totus et
 „alienus a fide, quemadmodum plerique multa
 „de fide et operibus disputant et in scholis de-
 „cantant, non intelligentes, quid loquantur,
 „neque de quibus adsirment. Fides est fiducia
 „constans misericordiae Dei erga nos, in corde
 „viuens et efficaciter agens, qua proicimus nos
 „toti in Deum et permittimus nos Deo, qua certo
 „freti non dubitemus millies mortem oppetere.
 „Et haec tam animosa fiducia misericordiae Dei
 „cor exhilarat, erigit et excitat, rapitque dul-
 „cissime quibusdam affectibus erga Deum, ani-
 „matque sic cor illud credentis, ut Deo fretus
 „non reformidet se solum opponere omnibus
 „creaturis. Hoc ergo pectus heroicum, hos in-
 „gentes animos indit cordi Dei Spiritus, qui
 „datur per fidem. Atque hinc consequimur,
 „tum et hac viua energia in corde impellimur
 „ad bonum. Hanc hilarem propensionem conse-
 „quimur, ut sponte et ultro ardentes et prom-
 „ptissimi sumus facere, tolerare et pati omnia in
 „obsequium tam clementis patris et Dei, qui
 „per Christum tanta opulencia gratiae nos dita-
 „uit

De renouatione siue sanctific. 173

„vit et tantis opibus obruit. Fieri nequit, vt
 „hæc efficacia et vita fidei in vlllo sit, quin adsi-
 „due operetur, quin Deo fructificet. Hand
 „secus atque impossibile rogum aut pyram ac-
 „cendi, quæ non luceat.,

§. V.

Homines renouationis (vt post conuer- Quinam
 sionem accipitur) participes, sunt soli *regenerati* homines
 et per fidem *iustificati*, Rom. VI, 22. Col. III, renoua-
 1.3.7-10.12.13. Neque vero ad solius *ani-* tionis
mæ facultates, intellectum, Rom. XII, 2. Phil. participes
 I, 9. Col. I, 9. 11. III, 10. et voluntatem, Eph. nunt ?
 IV, 23. 24. sed certo etiam modo *ad corpus*
eiusque membra, Rom. XII, 1. VI, 12. seq. 19.
 siue ad omnes partes hominum (*ὅλον τὸν ἄνθρωπον*),
 spiritum, animam et corpus refertur, quem-
 admodum Paulus 1 Thess. V, 23. loquitur.

§. VI.

Renouatio et sanctificatio ipsa, *prout Deo*, Renoua-
 tamquam causæ principali et efficienti, *tri-* tio et san-
buitur, est istiusmodi diuinæ gratiæ in ho- tificatio,
 minibus regeneratis et iustificatis operatio, qua vt Deo tri-
 residua in illis vetus natura virtute mortis buitur,
 Christi magis magisque infirmatur et abo- quid ?
 letur, noua autem virtute resurrectionis
 Christi magis magisque corroboratur et ad
 diuinam imaginem transformatur, Mal. III,
 3. Ps. LI, 12. Col. I, 11. 2 Cor. III, 18. Eph.
 IV, 23. Quatenus vero, sensu §. III. indicato,
regeneratis competit, per eam idem illud intel-
 ligitur, quod sacra scriptura, ratione resi-
 duæ

duæ in illis vitiositatis, per renouationem magis magisque abolendæ, vocat *crucifigere* carnem vna cum libidinibus et cupiditatibus, Gal. V, 24. *deponere et exuere veterem hominem*, Eph. IV, 22. Col. III, 9. (coll. Gen. XXXV, 2.) *contundere et subigere corpus*, I Cor. IX, 27. *abscindere, eruerè, necare membra terrestria*, quæ nobis officiunt, Matth. XVIII, 8. 9. Col. III, 5. *circumcidere cor*, Rom. II, 29. *purgare se ab omni et corporis et animæ labe*, 2 Cor. VII, 1. *abnegare se*, Luc. IX, 23. *expurgare vetus fermentum*, I Cor. V, 7. 8. *vincere mundum*, I Io. V, 4. cetera; et quod, ratione boni in hac renouatione efficiendi, per *τὸ induere nouum hominem*, Eph. IV, 24. Col. III, 10. *inducere Dominum Iesum Christum*, Rom. XIII, 14. *inducere diuinam armaturam*, Eph. VI, 11. *præbere membra serua iustitiæ*, Rom. VI, 19. *exercere se ipsum ad pietatem*, I Tim. IV, 7. *contendere ad scopum et palmam*, Phil. III, 14. aliasque plures locutiones emphaticas indicare solet: quæ omnia non sine *lucta carnis et spiritus* perficiuntur, Gal. V, 16. 17. Hebr. XII, 1. Quanto autem magis necantur spiritu carnis actiones, tanto magis spiritalis vita et diuinum incrementum sese exserit, Phil. III, 10. Rom. VIII, 10. 2 Cor. XII, 9. Io. XII, 24. 25.

§. VII.

In renouatione

In renouatione dantur certi *gradus*, quemadmodum ex discrimine inter *filiolos*,
ado-

De renouatione siue sanctific. 175

adolescentes et patres; 1 Io. II, 12. 13. 14. in-
ter *pueros et viros adultos* in Christo, Eph. IV,
13. 14. inter *imbecilles et fortes*, Rom. XIV, 1.
XV, 1. Hebr. V, 14. inter *spirituales et carna-*
les, 1 Cor. III, 1. et ex proprietatibus, quæ
cuiuslibet ordini tribuuntur, liquet. Vnde
euangelicus salutis ordo in fidelibus et re-
genitis non quidem absolutam omnibus nu-
meris perfectionem secundum renouationem
exigit; assiduam tamen sinceræ pietatis ex-
ercitationem, ardensque in spiritu ac veritate
ambulandi studium requirit, et ad magis
magisque crescendo, quod ad interiorē
hominem, contendendumque ad scopum ac
palmam, ad quam vocati sunt diuinitus per
Christum Iesum, instigat, Marc. IV, 20. 26-
29. Matth. XIII, 23. 31. 32. Col. II, 19.
1 Thess. IV, 1. 9. 10. 1 Cor. XV, 58. 2 Cor.
IV, 16. VII, 1. Phil. III, 12-14.

§. VIII.

Præcipui fructus renouationis et sanctifi-
cationis sunt (1) incrementum, quod ad
interiorē hominem, Eph. IV, 15. (2) in
specie augmentum diuini luminis ad cogni-
tionem Patris et Christi, 2 Petr. I, 5-8. Io.
VII, 17. VIII, 12. 31. 32. Vid. Matth. V, 8.
(3) facultas spiritualis *donum* *actus* seu explo-
rationis, Rom. XII, 2. 1 Cor. II, 15. 2 Cor.
XIII, 5. Phil. I, 9. 10. Eph. V, 9. 10. (4) veræ
virtutes et bona opera, siue fructus Spiritus
et iustitiæ, Gal. V, 22. Eph. V, 9. Phil. I, 11.
(5)

bono
Ibo ma
chit ma
et mui
mho
ch om
manus

Præcipui
renova-
tionis
fructus
quinam ?

(5) pax et gaudium in Spiritu sancto, Rom. VIII, 6. 13. XIV, 17. (6) instauratio amissæ diuinæ imaginis, 2 Cor. III, 18. (7) vita æterna, quæ est *χρόσιμα τῆ Θεῶς*, beneficium gratuitum Dei, Rom. VI, 23. Gal. VI, 8. (8) honor et glorificatio gratiæ et virtutis Dei atque Domini nostri Iesu Christi in hac et futura vita, Matth. V, 16. Io. XV, 8. Phil. I, 11. 2 Thess. I, 12.

§. IX.

Quod-
nam offi-
cium fide-
lium se-
cundum
hanc do-
ctrinam?
Officium fidelium secundum hanc doctri-
nam est, (1) Deo gratias agere, quod non
solum peccata ipsis sua propter Christum
condonarit, sed in Christo etiam, Spiritum
suum donando, ad diuinam imaginem eos
renouare, et ad seruiendum sibi idoneos
reddere velit, (2) vires quotidianæ renoua-
tionis et sanctificationis, sub constanti pro-
prium virium abnegatione, ab ipso sub-
misse petere et efflagitare, Hebr. XIII, 21.
Eph. III, 14. seqq. 1 Thess. V, 23. 2 Thess. I,
11. (3) haud vlllo prætectu studium sancti-
ficationis in sese exstingui sinere, 2 Petr. II,
18. 19. Hebr. III, 12. 13. Gal. V, 7-13. Rom.
VI, 1. 2. Mal. III, 14. 15. Sirac. V, 4. 5. 6.
Eph. V, 6. 7. 11. sed ex acceptis spiritualibus
gratiæ viribus in renouatione sedulo sese ex-
ercere, Tit. II, 14. Hebr. XII, 14. 1 Cor. IX,
24. seqq. Vid. Matth. XI, 12. Eph. VI, 10. seqq.
(conf. supra §. VIII.) ne beneficium Dei in-
cassum accepisse inueniantur, 2 Cor. VI, 1.
Matth.

De renouatione siue sanctific. 177

Matth. XXV, 14 - 30. 2 Petr. I, 9. II, 20.
 (4) hunc in finem subsidiis gratiæ, ad renouationem et spirituale incrementum diuinitus præscriptis, fideliter et in debito ordine uti; vid. supra §. IV. (5) ea omnia, quæ hoc tempore patienda sunt, libenti animo pati, quippe quæ fraudi ipsis esse non possunt, sed diuinæ renouationis opus in eis prouehere debent, (vid. supra §. IV.) maxime autem (6) in Christo eiusque vnione manere, ex qua omnes spirituales vires ad occisionem veteris et incrementum noui hominis oriuntur, Col. II, 12. 13. Rom. VI, 4. 5. Io. XV, 4. 5. Vid. supra §. II.

§. X.

Solatium eorum est, (1) quod Deus vi Quodnam
 res, per Christum ad sanctificationem illius eorum
 que incrementum partas, suppeditare iisque solatium?
 efficere velit, quæ viribus naturæ fieri nequeunt, Ies. XL, 31. 1 Petr. V, 10. 2 Petr. I, 3.
 Rom. VIII, 26. (vid. supra §. II. III.) (2) quod
 ex quotidiana renouatione, tamquam certo
 et indubitato criterio, sese in statu gratiæ
 esse, firmiter sibi persuadere possint, Rom.
 VIII, 1. Gal. V, 23. (3) quod ex vera renouatione oriundæ virtutes et opera omnia diuinitus facta sint Deoque placeant, Io. III, 21.
 habeantque gratuita præmia, 1 Cor. XV, 58.
 (vid. infra Artic. XVII.) (4) quod in omnibus
 afflictionibus ob studium, quod in sanctificatione collocant, sibi vsu venientibus, felices
 M sint,